
ANNO DOMINI MCXXX

DOMNIZO

PRESBYTER ET MONACHUS CANUSINUS

NOTITIA HISTORICA

(FABRIC. *Biblioth. med. et inf. lat.* II, 55)

Domnizo, aliis Donizo, vel Donnizo, presbyter et monachus Canusinus, ordinis S. Benedicti, scripsit *libris duobus* carmine hexametro et magnam partem leonino *Vitam Mathildis* comitissæ, celeberrimæ principis Italiæ, quæ anno Christi 1115 obiit. Edita est primum a Sebastiano Tegnagelio in veterum monumentorum sylloge, Ingolstadii 1612, in-4^o; deinde emendatior ex codice Romano in G. G. Leibnitii *Scriptoribus Brunsvicensibus*, tom. I, pag. 629; denique ex codicibus Padolironensi et Regiensi castigatior, et versibus multis locupletior, cum laudati Leibnitii et clarissimi Muratorii notis in tomo quinto *Thesauri Mediolanensis Scriptorum Italiæ* pag. 335. Plerisque eorum quæ scribit Domnizo, ipsum interfuisse, et papæ partibus contra imperatorem Henricum IV impensius lavere jam notatum Vossio, pag. 773. Nemo autem adhuc protulit quod memorat Sandius, scriptum Domnizonis soluta oratione, in quo de *Theobaldi*, episcopi Aretini, castitate aliisque virtutibus, et nonnulla eadem, quæ in vita Mathildis metro condita leguntur.

[Domnizonis historiam soluta oratione conscriptam ex Lucensi Francisci Mariæ Florentini codice prior evulgavit Leibnitius, tum ex illo Muratorius *Rer. Ital.* tomi V, pag. 589; ibi vero occurrunt ea omnia de virtutibus et castimonia Theobaldi episcopi Aretini, quæ Sandius hic apud Fabricium adnotavit. Hæc est igitur historia Domnizonis soluta oratione conscripta non quidem ipso Domnizone, sed alio quopiam auctore. Quare non est cur Fabricius dicat a nemine memorari opus illud Domnizonis soluta oratione; non enim commemoratum est, ut a Domnizone confectum, sed ex Domnizone petitum perquam notissimum est. MANSI.]

DOMNIZONIS

VITA MATHILDIS COMITISSÆ.

(Vide *Patrologiæ* t. CXLVIII, in append. ad Gregorium VII.)

ANNO DOMINI MCXXX

ABBAUDUS ABBAS

NOTITIA

(FABRIC. *Biblioth. med. et inf. lat.*, I, 1)

Abbaudus abbas circa annum 1130, De fractione corporis Christi, contra Petrum Abælardum brevia tractatum edidit. Non aliunde notus.
